



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1729. usque ad annum 1731

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1785**

**VD18 13322648**

§. 2. Prospera Religionis Catholicæ auspicia in Maroccano Regno.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67677](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67677)

Sæc. XVIII. „nostræ imbecillitatis ministerium pro-  
A. C. 1728. „pterea opus misericordiæ suæ distu-  
 „lisse videtur, ut nomini suo, quidquid  
 „est prospere gestum, unice assignare-  
 „tur. Ejusdem præterea charissimi in  
 „Christo Filii nostri laudes digno præ-  
 „conio celebremus, qui in colenda ju-  
 „stitia, sanctæque Ecclesiæ rationibus  
 „tuendis præcipuam Austriaci sangui-  
 „nis, & Cæsarei nominis gloriam col-  
 „locare gestit. „

Ita sane Benedictus an in obtinen-  
 do felicior vel in prædicanda hac  
 felicitate verecundior fuerit, dubium  
 relinquit, id omnino certissimum, lau-  
 dem & gloriam adeptum fuisse ab om-  
 nibus, dum a nullo laudari concupi-  
 verat.

## §. II.

*Prospera Religionis Catholicæ auspi-  
 cia in Maroccano Regno.*

*Vide supra  
 pag. 554.*

Quamprimum rumor de Dehii Maro-  
 chii imperatoris animo in Chri-  
 stianos propenso in Gallis increbuerat,  
 mox P. Beguinus & tres alii Religiosi  
 ex Ordine Fratrum de Mercede ab eo-  
 rum Superioribus decernebantur, ut  
 Christianos dira servitute ibidem pres-  
 fos

fos redimere, & fidem Catholicam in hoc Regnum invehere studerent. Hi ergo, priusquam Gautherus & Marena Galli, uti supra relatum est, cum Imperatoris literis ad Franciæ Regem pervenerant, jamjam in Hispaniam ex Galliis profecti erant, & secundis velis Cordubam appulsi inde continuato itinere ad Gades contendebant, ubi ipsis primum innotuerat, tantam esse Marroccani Regis indulgentiam, ut ex qualibet Natione duo captivi in suam quisque patriam ire permitterentur, qui a suis Principibus pro redimendis subditis lytrum obtinere satagerent. Eadem die hi Religiosi a suis superioribus literas accepere, quibus injunctum, ut Gautherium & Marenam e Francia reversuros ibidem expectarent, & unacum eis demum ad Marochii regnum pergerent: cum autem hi duo Galli non nisi die septima Martii hoc anno *portu gratiæ* solvere possent, hac mora accidit, ut tota captivos redimendi & Evangelii prædicandi spes evanesceret; interea enim temporis Muley Abdemelec collecto raptim milite, Hamet - Debiu Fratrem suum hostiliter aggressus, illum suis ejus copiis e solio decima octava Martii deturbavit, sibi que Regni sceptrum asseruit. Horum vero, quæ interim in Africa contigissent, omnino

A 3

ignari

Sæc. XVIII.  
 A. C. 1728.

Sæc. XVIII. ignari erant hi Religiosi, quapropter  
A. C. 1728. de prospero suæ expeditionis successu  
 haud dubii tela serica, auro & argento  
 intexta, aliaque pretio & arte insignia  
 coemerunt munera, quæ Maroccano  
 Regi offerre parabant, eidemque ma-  
 gis accepta fore, a Pileto Salanæ Ur-  
 bis Governatore, olim fidei Catholicæ  
 desertore prius perceperant. Tandem  
 vero ambo Galli die vigesima quarta  
 Martii ad Gaditensem portum appulsi,  
 unacum quatuor hisce Religiosis Salam  
 contenderunt, quorum adventum e-  
 doctus Governator, duabus navibus  
 obviam missis, eos simulata benignitate  
 excepit, dato tamen nautis mandato,  
 ut si fors hi advenæ hæc naves con-  
 scendere renuerent, eos vi compelle-  
 rent, eorumque cistas omnes hisce na-  
 vibus imponerent; perfidus enim atque  
 avarus hic Apostata verebatur, ne hi  
 Religiosi cognita Debi Regis exaucto-  
 ratione unacum muneribus, quæ pro  
 hoc Principe secum deferebant, in pa-  
 triam suam reverterentur. Verum hi  
 nil mali suspicati, ultro ex sua cymba  
 exscenderunt, omniaque sua pretiosa  
 Governatoris navibus imposuere: Vix  
 ad ædes cujusdam Galli Mercatoris  
 nomine *Le Noir* erant conducti, cum  
 Debi Regem solio detrusum, eique  
 Abdemelecum fuisse subrogatum per-  
 cipiunt.

cipiunt. Funesto hoc Nuntio perculsi de redimendis captivis desperare cœperant, & demum, quo se verterent, nescii Piletum Governatorem, qui ejurata fide Catholica se Abdeludyen nominabat, supplices adeunt, ut eos suo foveret patrocínio. Hic vero ficta comitate & affectu illos amplectitur, certosque esse jubet, Abdemelecum Regem haud segniore, ac Debius Rex benevolentia in Christianos ferri, seque nullum officii genus in eorum favorem omisurum. Hac pollicitatione erecti Patres meliora sperabant, magis etiam illos solabantur literæ, quas ab Abdemeleci Filio scriptas ineunte Mense Aprili receperant, hoc tenore:

Sæc. XVIII.  
 A. C. 1729.

*Muley - Ally, Filius Muley - Abdemeleci Regnantis Regis, Patribus Gallicis Ord. Redemptionis salutem.*

*Lætatur de adventu vestro in nostram patriam: in plena securitate poteritis Salæ subsistere, donec Marochii Rex Pater meus Mequinesiam intraverit, quo eum brevi venturum speramus: Tum vero negotium, quod Vos huc advocavit, cum ipso sine omni obstaculo absolvere poteritis; de propitio alloquio vos certos reddo, quicquid petieritis, ab eo obtinebitis, & majorem ab eo benevolentiam experiemini, quam a quovis alio Principe sperare possētis. Mechemedo Belcadii*

A 4

cadii

Sæc. XVIII. *cadii Famulo nostro, & alteri captivo Ab-*  
 A C. 1728. *delady demandavimus, ut vestrum curam*  
*habeant, & ne vobis quid finistri accidat,*  
*præpediant: Armate vos patientia, &*  
*ne solliciti sitis - datum die 26. Mensis Cha-*  
*ban Anno 1140. Prophetæ nostri.*

*Aly Omnipotentis Servus, Regis*  
*Maurorum Filius.*

Haud absimiles literas Benmargen primarius Eunuchus eodem ferme tempore ad eos dedit, suumque obsequium apud Regem illis pollicitus est. His ergo promissis animati, die septima Maij e Salano portu ad Aulam prope- raturi solvunt. Stipantur numerofo militum comitatu, simulque cum eis Alcaides Mahomet Monino olim Salanus Gubernator mulo catennis annexus conducebatur, qui capitis poenam veritus, sese horum Patrum patrocinio enixe commendabat, quo intellecto Piletus reposuit: *Stulte! hi Patres quod sibi de propria salute timeant, tantum habebunt, ut de aliena solliciti esse non poterint.* Ex his verbis haud obscure colligebant, hunc Apostatam eorum postulatis apud Regem obstiturum, quocirca sibi primarii Eunuchi benevolentiam profuso auro demereri studebant. indignante vehementer Apostata, qui eis palam denunciabat, se quocunque se verte-

verterent, aut ferius aut citius expecturos, quod eorum fatum a solo ipsius dependeret arbitrio: Perfido huic Gubernatori Eunuchus quidem mortis poenam comminabatur, si sese huic negotio ingerere præsumeret, ipse vero sprete hisce minis clam Patrum consilia evertere totis viribus adlaborabat. Tandem die decima Maij Mequinesiam delati, die duodecima ejusdem Mensis ad alloquium admittuntur, Regem salutatione consueta honorant, eique munera, quæ secum deferebant, offerunt; paulopost Rex ipsos his verbis alloquebatur, *qui estis, & quid a me petitis?* Hi vero reponebant, *sumus Religiosi natione Galli, & solii tui felicitatem gratulaturi advenimus, rogantes, ut nostræ Nationis mancipia, quæ sub captivitatis jugo gemunt, & libertatem & patriam anhelant, redimi permittas.* Ad hæc respondit Rex, *num quosdam Mauros vobiscum ex Francia conduxistis?* Respondentibus autem Religiosis, nullos in Gallorum triremibus captivos detineri, interrogabat de lytro, quod pro centum septendecin Gallis erogare vellent? Hæc inaudiens Apostata, ad Regem dixit, hi Patres alia habent adhuc munera, quæ Regiæ suæ Majestati offerre vellent, quo audito Rex sermonem interrupit, eosque septima post die ad-

Sæc. XVIII. esse jussit. Hoc temporis intervallum  
 A. C. 1728. nequissimus Apostata in rem suam ver-  
 tit, Regique suggestit, Muley - Ismae-  
 lem Regem nunquam Christianum di-  
 misisse, nisi vicissim natione Mauri  
 libertati redditi fuissent, aliunde vero  
 hos Patres non advenisse, ut cum ipso,  
 sed cum ejus hoste Hamet - Debyo a-  
 gerent. Die tamen decima nona Maij  
 rursus cum Rege colloqui permittun-  
 tur, minus tamen benigne excepti,  
 demum vero in tertio alloquio Rex qui-  
 dem munera, quæ his Religiosis ad-  
 huc supererant, acceptavit, simul ta-  
 men eis significavit, quod ab eo haud  
 ampliora sperare possent, nisi securita-  
 tis literas, quibus muniti in Franciam  
 redirent, hisque dictis duas Histrices  
 non sine contemptu ante eorum pedes  
 projici jussit, hisce vero Religiosis sese  
 excusantibus, quod ejusmodi animan-  
 tibus haud vescerentur, eorum loco eis  
 duo pollicitus mancipia, sequentes ad  
 Franciæ Regem literas tradidit :

*Dei voluntate ad solium evectus Rex ,  
 universæ Barbariæ Domitor, Lu-  
 dovico XV. Franciæ Regi pacem,*

*Patres Redemptionis, qui cum Muley-  
 Hamet - Debyo Fratrem meo de redimendis  
 mancipiis acturi Mequinesiam venerunt, me  
 a Deo jam solio impositum cernebant, quia  
 Frater*



Frater meus legem, prout decuisset, non observabat: Hi Patres me in Palatio meo salutarunt, quæsi ab illis, an secum tuas ad me literas deferrent, illis vero nullas mihi reddentibus, duo mancipia nationis Gallicæ dono dedi: si vero fors redire velent, necesse est, ut publicæ fidei literas asferant, & tum cum eis agemus. Pax tecum sit: Datum Mequinesicæ die 18. Mensis Chouvel Anno 1140. (\*)

Sæc. XVIII.  
A. C. 1728.

Ceterum quatuor hi Religiosi Salam die trigesima prima Maij reversi, die quinta Junii portu solverunt, quin alium piæ suæ expeditionis fructum in patriam reportarent præter hæc duo mancipia, & Eunuchi Benmargen epistolam ad Cardinalem Fleuryum hujus tenoris:

*Cardinali Fleuryo &c. vitam & salutem.*

*A Rege meo, qui pariter ad Franciæ Regem perscripsit, de iis, quæ inter ipsum & Patres redemptores acta sunt, Te certior reddere jussus sum. Ex Francia in hoc regnum factis Mequinesicæ haud exiguis expensis pervenerunt, quin votis suis dam-*  
*nari*

(\*) Horum captivorum quilibet jam septuagesimum quintum ætatis annum exegerat, & horum alter quadraginta quinque, omnino annis jam in captivitate nâserat.

Sæc. XVIII. *nari potuerint. Censuit enim Rex Domi-*  
 A. C. 1728. *mus meus, haud convenire, ut, quin publicæ*  
*fidei literis a suo Principe muniti essent,*  
*tot Christianos in libertatem assererent: Nil*  
*aliud de Te peto, nisi ut Regis mei literas*  
*Regi tuo tradi cures, eo fine, ut si ipse*  
*captivos per hos Patres redimi desiderat,*  
*eorum vota plene adimpleantur. Vicissim*  
*mihî rescribas velim, & sis securus, cuncta*  
*optatum sortitura successum: si forte ex*  
*Regione nostra quicquam desideres, id indica*  
*mihî, & voti tui compos eris, etsi duos vel*  
*tres Christianos petieris, dummodo res in-*  
*ter me & Te, insciis nostris Regibus, aga-*  
*tur: in omnibus me tuis desideriiis conformabo.*  
*Datum Mequinesicæ die 18. Chou-*  
*vel Anno 1140. (\*)*

Eodem tamen adhuc anno Muley-Hamet - Debius in Regem denuo proclamatus expugnata Mequinesia Abde-melecum strangulari, & Piletum Apostatam sclopis trajici, ejusque corpus ante Salanzæ Urbis portas pedibus suspendi jussit, ac tandem, postquam Regis Lusitani Oratorem unacum aliis quatuor Patribus Ord. de Mercede perhonorifice receperat, eisque plures captivos libertati assertos dono dederat, die vigesima secunda Martii Anno 1729. naturæ debitum solvit. Anno autem hujus sæculi trigesimo Muley Abdalat Marocci Imperator his Patribus indul-

(\*) Id est 28. Maij 1728.

fit, ut Christianos in suo Regno captos lytro redimere, & ad levamen ægrotorum præter Chyrurgum etiam sex Religiosos in Mequinesensi Nosocomio retinere possent; inhibuit quoque severissime tam Mauris, quam aliis, ne hos Patres ullo pacto molestarent.

Sæc. XVIII.  
A. C. 1728.

§. II.

*Principes atque illustres hoc anno denati.*

Hunc annum vitæ suæ postremum habuere non pauci Principes, & quidem ex Ecclesiasticis occurrit Udalricus de Federpiel Curiensis Episcopus, qui die decima tertia Octobris anno sui Regiminis trigesimo e vivis excessit. Successorem habuit Josephum Benedictum Baronem de Rost, natione Germanum, qui die decima quinta Decembris unanimi suffragio electus est, non sine magna tamen Rhætorum indignatione; hi enim hanc dignitatem non nisi suæ gentis Viro esse conferendam rati, ipso electionis die suos Deputatos ad Pontificis Nuntium & Cathedrales Canonicos jamjam congregatos ablegarunt, & impensis precibus adjectisque minis audiri postulantes tandem admissi, sua jura ac privilegia violari querebantur, palamque adversus electionem reclamabant,